Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40034
Copyright: Melk, Benediktinerstift

non presumat nisi qui potest ipsum
officium implere ut edificentur
audientes. Quod cum humilitate
et gravitate fiat. et cui iusse-
rit abbas. De opere manuum cottidiano

.28. Otiositas est inimica
anime. et ideo certis tem-
poribus occupari debeant fratres
in labore manuum. certis iterum
in lectione divina. Ideoque hac
disposicione credimus utraque tem-
pora ordinari idest constituere
ut a pascha usque ad kalendas
octobris mane exeuntes a prima
usque ad horam pene quartam labo-
rent quod necessarium fuerit. Ab
hora autem quarta usque ad horam
quasi sextam lectioni vacent.
Post sextam autem surgentes
a mensa pausent in lectis suis
cum omni silencio. aut forte qui
voluerit legere sic legat ut
alium non inquietet. Agatur nona
temperius mediante hora octa-
va et iterum quod faciendum est
operentur usque ad vesperam. Si
autem necessitas loci aut pauper-
tas exegerit ut ad fruges colli-
gendas ipsi occupentur non con-
tristentur. quia tunc vere mona-
chi sunt si labore manuum suarum
vivunt sicut et patres nostri et apostoli.
Omnia tamen mensurate fiant
propter pusillanimes. A kalendis
autem octobris usque ad caput quadra-
gesime in hora secundam lectioni
vacent hora secunda agatur tercia
et usque ad nonam omnes in opus
suum laborent quod eis iniungitur. Ex
facto autem signo primo none
hore disiungant se ab opere suo
singuli. et sint parati dum secundum
signum pulsaverit. Post refectio-
nem autem vacent lectionibus
suis aut psalmis. In quadrage-
sime diebus a mane usque ad
terciam plenam omnes vacent lec-
tionibus suis. et usque ad deci-
mam plenam operentur quod eis in-
iungitur. In quibus diebus qua-
dragesime accipiant omnes
singulos codices de bibliotheca
quos per ordinem ex integro legant
qui codices in capite quadrages-
ime dandi sunt. Ante omnia
sane deputentur unus aut duo
seniores qui circueant mona-
sterium horis quibus vacant fratres
lectioni et videant ne forte
inveniatur frater accidiosus qui
vacat ocio aut fabulis et non
est intentus lectioni et non solum
sibi inutilis est sed etiam alios
extollit. Hic talis si quod absit
repertus fuerit corripiatur
semel et iterum atque tercio si non
emendaverit correptioni regu-
lari subiaceat ut ceteri timeant.
Neque frater ad fratrem horis in-
competentibus iungatur. Dominico die
item lectioni vacent omnes. ex-
ceptis hiis qui variis officiis